



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Epistola IV. Gregorii Papae I. Ad Maximianvm Episcopvm. Praecepit vice
sua esse super omnes ecclesias Siciliae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

ne paternæ caritatis aggredior, vt profusis lacrymis redemptori nostro vnanimiter gratias referatis, qui sub tam peruerso doctore vos per auia gradientes ad iter rectum perduxit, & tam indigni pastoris crimina publicauit. Demetrius siquidem, qui nec ante episcopus dici meruerat, tantis ac talibus nequitiis inuentus est inuolutus, vt si secundum suorum qualitatem facinorum iudicium sine misericordia recepisset, diuinis mundanisque legibus durissima procul dubio fuerit morte plectendus. Sed quia poenitentia reseruatus, sacerdotii honore priuatus est, ecclesiam Dei sine ductore diu vacare non patimur: quia & canonicis regulis est constitutum, vt defuncto vel sublato pastore, diu sacerdotio priuari ecclesia non debeat. Ideoque caritatem vestram scriptis presentibus duxi necessario commonendam, vt ad eligendum pontificem nec mora, nec discordia, quæ consuevit scandala generare, proueniat. Sed talem vobis cum omni sollicitudine personam exquirite, in qua & omnium adunata possit gaudere concordia, & sacris nullo modo Canonibus respuat, quatenus officium quod nefandissimum hominum male gerendo polluerat, quisquis ille per Dei gratiam fuerit ordinatus, ipso quoque suffragante, digna valeat administratione complere.

EPISTOLA IV.

GREGORII PAPÆ I.

AD MAXIMIANVM EPISCOPVM.

Præcepit vice sua esse super omnes ecclesias Sicilia.

*Gregorius Maximiano episcopo Syracusano.*Ioan. diac.
libro 3. cap.
25.

MANDATA cælestia efficacius gerimus, si nostra cum fratribus onera partiamur. Proinde super cunctas Siciliae ecclesias reuerendissimum te virum Maximianum fratrem & coepiscopum nostrum vices sedis apostolicæ ministrare decernimus, vt quisquis illic religionis habitus censetur, fraternitati tuæ ex nostra auctoritate subiacet: quatenus eis non sit necessarium, post hæc, pro paruis ad nos causis tanta maris spatia transmeando peruenire: sed si qua fortasse difficulta existunt, quæ fraternitatis tuæ iudicio nequaquam dirimi possint, hæc solummodo

nostrum iudicium flagitent, vt subleuati de minimis, in causis maioribus efficacius occupemur. Quas videlicet vices non loco, sed personæ tribuimus: quia ex transacta in te vita didicimus, quid etiam de subsequenti tua conuersatione præsumamus.

Mense Decembri, indictione decima.

EPISTOLA V.

GREGORII PAPÆ I.

AD CANDIDVM EPISCOPVM DE VRBE VETERI.

Ægrotis quæ ab ecclesia consueta perceperunt neganda non esse.

Gregorius Candido episcopo de Vrbe veteri.

CVM percussio corporalis imminet, vtrum pro purgatione, an pro vindicta contingat, Dei in hoc iudicium ignoratur: & ideo non debet a nobis addi flagellatis afflictio, ne nos culpæ, quod absit, offensa respiciat. Et quia præsentium lator Calumniosus pro hac percussione quam sustinet consueta sibi commoda ab ecclesia vestra asserit negari, idcirco fraternitatem tuam præsentibus hortamur epistolis, quatenus nihil eum ad percipienda quæ consueta sunt hæc ægritudo debeat impedire: quia diuersis in ecclesia militantibus, varia, sicut nosti, sæpe cõtingit infirmitas. Et si hoc fuerint exemplo deterriti, nullus de cetero qui ecclesiæ militet poterit inueniri: sed secundû loci eius ordinem quæque ei, si sanus esset, poterant ministrari, de ipsa exiguitate, quæ ecclesiæ potest accedere, fraternitas tua diuini contemplatione iudicii ægrotanti præbere non desinat, quatenus in huius rei administratione ad eleemosynã potius videaris quæ sunt consueta exoluendo conuertere.

Grat. 7. qu. 1. cap. 2.

Ioan. diac. libro 4. cap. 33.

EPISTOLA VI.

GREGORII PAPÆ I.

AD NEAPOLITANOS.

De eligendo Paulo episcopo.

Gregorius ordini & plebi consistenti Neapoli.

QVALE de Paulo fratre & coepiscopo nostro habeat caritas vestra iudicium, directa a vobis relatio pa-

Concil. Tom. 13.

Hh ij